

**2006 TSJCL Sight Recitation
Level 2**

Dum haec gerunter, Graecōrum animōs tantus terror occupāvit ut nē vōcem quidem ēdere possent sed omnī spe salūtis dēpositā praesentem mortem exspectārent. At Polyphēmus, postquam famēs hāc tam horribilī cēnā dēpulsa est, humī prōstrātus somnō sē dedit. Quod cum vīdisset Ulixēs, tantam occāsiōnem reī bene gerendae nōn omittendam arbitrātus, pectus mōnstrī gladiō trānsfīgere voluit. Cum tamen nihil temere agendum exīstimāret, cōstituit explōrāre, priusquam hoc faceret, quā ratiōne ex spēluncā ēvādere posset. Cum saxum animadvertisset quō introitus obstrūctus erat, nihil sibi prōfutūrum intellēxit Polyphēmum interficere.

(Ritchie's *Fabulae Faciles*)